

dreas Paruta suffectus est : a Pontifice Maximus e Maximo-
rum familia , ac Alduinus dicti ; qui cum postea ad Papo-
tias vicum convenissent , complures dies re agitata , ea infe-
cta discessere .

In Illyrico quoque tumultus exorti , qui a privatis inimi-
ciis in publicum erupere . Nam cum inter Reipublicæ subje-
ctos ac finitimos Turcas dissidia exarsissent , a vulneribus ad
cædes ventum esset , Turcæ aliquot a nostris male habiti ac
interfecti fuissent ; gens ferox atque insolens , privatas publi-
cæ vindicare injuriis moliebatur : jamque in Jaderensem agrum
depopulatura ferebatur . Quibus cognitis , Camillus Trivisa-
nus , equitum præfектus , vir fortitudine atque militari expe-
riencia , cum in Pannonia dimicasset , clarus , ne quid nostri
detrimenti acciperent , summopere nitebatur : cumque sexcen-
tos partim pedites partim equites in ditiones Reipublicæ
impetum facturos per exploratores Trivisanus cognovisset ,
obſistendum ratus , equitum multo minore numero in insi-
diis pertrahere Turcas conatur : qui cum fastu ac incon-
ditio clamore more gentis irruerent , Trivisanus inopinantes
a latere aggreditur . Improviso eventu perterriti terga ver-
tunt : quinque ac triginta ex iis interfecti , e nostris nemine
desiderato . Eo certamine finitimi omnes Turcæ commoti ,
arma capiunt , ad Bossinæ Bassam querelas deferunt , ut
ex tenui scintilla brevi ingens exarsurum incendium vide-
retur . His de rebus Senatus certior factus , Marco Antonio
Venerio , Illyrici atque Epiri legato , mandat , cuncta ad
Turcarum impetum sustinendum , subditosque tuendos com-
paret ; copias cum equestres tum pedestres in Reipublicæ fi-
nibus cogat ; neque ex iis nisi laceſſitus pedem efferat , ne
exinde turbandæ cum Turcarum Rege pacis occasiones exo-
riantur : si Turcæ Reipublicæ ditiones aggredi , atque in eas
impetum facere velint , quacumque ratione fortiter atque
alacriter obſistat . Ducenti e Croatia pedites adjecti , quatuor
armata navigia mittuntur . Augustino Canilio , qui Venerio
suffectus in provinciam iter habiturus erat , eadem injun-
cta sunt : atque ut nihil , quod ad dissidia sedanda at-
tineret , prætermitteretur , ad Venerium datæ literæ , quibus
statim ad Bossinæ præfectum nuncium cum literis mittere ju-
be-